



Nr. 112.

ΠΝΩ: ΑΓΗ.Δ.ΟΙΚ: ΘΛΗ: ΔΩ: ΦΟΔ.Ρ:
ΦΩΣ.Ζ.Η: Φ.Ε.Η: Δ.Φ.Η: Λ.Φ.Η.Η:

DISSE^{2.}
TAT^{1.} THEOLOGICA
DE

DESERTO MYSTICO,

ansam considerationi huic praebente

Diuino Oraculo, *Hof. II. 16.*

Quam

PRAESIDE

RECTORE MAGNIFICO,

DN. IO. HENRICO MAIO,

S. S. Th. D. et Prof. Publ. Ordin.

Ecclesiarum Alsfeldensis et Marpурgo-Darmstadini districtus

Superintendente vigilantissimo,

Confistorii Adseffore grauissimo,

Stipendiatorum Ephoro et Paedagogiarcha
meritissimo,

DN. PATRONO et PRAECEPTORE suo
accatem deuenerando,

Publicae disquisitioni submittet

in acroaterio Theologico,

die XXIV. August. hora IX. antemerid.

A. O. R. M DCC XIV.

GEORGIVS LVCAS KVNZEL,

Mühlbaco-Suevus.

GISSAE, typis IOANNIS MULLERI.

Per-Illustri et Excellentissimo Domino,
DOMINÒ
EBERHARDO
FRIDERICO,
Libero Baroni de NEVBERG,
Schyveigern, Klingenberg, Adelshofen,
cetera;
S. CAESAREAE REGIAEQUE MAIESTATIS
GENERALI REI TORMENTARIAE PRAEFECTO,
Atque DVCI LEGIONIS PEDESTRIS,
MVNIMENTI PHILIPPOBURGENSIS GUBERNATORI,
Et EQVESTRIS S. R. OM. IMP. ORDINIS
CRAICHGOVIENSIS DIRECTORI;

MOECENATI, studiorumque suorum PATRONO
Summe Venerando,
DOMINO suo GRATIOSISSIMO,

Leues hasce Academicorum studiorum primitias
in animi humilimi, et ob singularem gratiam, indigno sibi exhibitam,
gratissimi significationem,
ea, qua par est,
humilitate offers,
omnigenaeque felicitatis splendorem
ex intimo cordis adprecatur

EXCELLENTIAE SVAE

subiectissimus seruus

Georgius Lucas Künzel,
Mühlbacenf. Suevus.



BENEVOLO LECTORI SALVTEM.

Considerationem hanc, quam pro viribus nostris quilibuscumque oculis tuis hic subiectam vides, Benevolo Lector, non aequo ab omnibus animo suscepitam fore, is, qui seculi huius morem habuerit perspectum, facile poterit iudicare. Evidem difficilimum hoc, quod paucis illustrandum sumsemus, Hoseae vatis oraculum, multis iisque diuersis a se expositionibus pertractatum a nonnullis fuisse, bene habemus compertum; sed an haec, que a nobis hic adferuntur, illustramenta aliquid contineant momenti, illi poterunt decernere, qui rerum ex aequo sunt aestimatores. Ita autem in pertractionis argumento summus versati, ut regulas iuxta exegeticas sententiis interpretum, ex eorum commentationibus erutis, et inter se expensis, eligeremus eas, quae visae erant ceteris praestantiores. Quare, ut a nonnullorum Exegetarum, quorum licet eximiā eruditōnē, prout decet, alias veneremur, discederemus sententia, siquidem minus eam adcurate se habere deprehenderimus, non duximus nobis religioni. Non enim tam ex auctoritatis, quam veritatis praescripto nobis persuasimus esse dicendum. Interea eos, qui forte adductas singulares quorundam hoc de vaticinio sententias non censem esse tolerandas, maximopere velim rogatos, ut ne, priusquam omnia exacte sibi habeant perspecta, easdem coeco impetu audeant improbare. Eiusmodi enim res, ei, qui cuncta sua potest efficere potentia, commissas relinquere, suamque in his fateri ignorantiam, quam non exacte percepto secus sentientium fundamento,

omnia ire damnatum, mihi quidem, ut ex vero dicam, magis videtur esse consultum. Quamobrem, ut ne morose sententias cuiquam obtundamus, neque aliorum simpliciter reiiciamus in hisce cognitionem, sed euentui singula tribuamus, probe notari velim eximum illud Theognidis effatum, quod in eius sententiis non procul a fine deprehenditur his verbis:

πείγματος ἀποθέλει χαλεπώτατον ἐστι πλευτὴ^ν
γύναι, ὅπως μέλει τῷ Θεῷ πλέον.

hoc est ex Hieron. Osii interpretatione:

Diuinare tibi, quo fine negotia cedant,
Difficile, euentu quo velit esse DEVS.

Quod vero de Deserto Mysticō praeſentem inscripſerimus disquisitiōnem, ob argumenti, quod Prophetā tractat, factum est sublimitatem. Ex eo enim fonte de solitudine illa ſpiritus, atque ab omnibus interne facta rerum in ſenſus incurrentium quaſe abstractione, promanasse videatur Mysticorum doctrina. Cum autem ob horum temporum iniquitatem, vix ſecundum ἐπιγνῶσιν ἀληθεῖας τῆς καὶ ἐντεῦθεν, ut Tit. I. i. dicitur, ſalubria prodeant monita, quaes effugere poſſint filiorum huius ſeculi peruerſorum, Christi tamen nomen ore tantum voluentium, κανοζηλας, eas non moramur. Siquidem nemo niſi IESVS, noſter Seruator, a quo impetrari uice poſt oculorum vnguentum, ad videndum Apoc. III. 28. coeſis poſt aperire viſum. Interea repurgatam Mysticam Theologiam non eſſe figmentum aliquod, ſed maxime eximiā, tot virorum pietate inſignium, ut SS. Patres taceamus, inter Theologos Noſtrates, B. Lutheri, Arndii, Speneri, aliorumque bene mulitorum, et nuper demum Excellent. Tubing. Theologi, Domini D. IAEGERI, comprobant teſtimonia. O utinam igitū enigilarent tandem alto ſomno oppreſi, et teſtem fidelem ad cordis oſtium, teſtante diuino oraculo Apoc. III. 20. pulsantem, recipiērēt miferi mortales! Tum enim re ipsa vitam ſuam cum CHRISTO in DEO abſconditam ſentirent; Col. III. 3. quod ut mihi et omnibus contingat, in primis meis commilitonibus, ex corde precor.

בְּהִנּוֹא

בְּהִנֵּא

Dicti Hof. II. 16. alia 14.

TEXTVS ORIGINALIS:

לֹן הַנָּה אֲנֵי מִפְתִּיר וְהַלְכָתִיר הַמְרֻבָּר
וּבְרָתִי עַל לְבָה :

Ex Schmidii versione:

Propterea, ecce, Ego persuadens illi, et deducam illam in desertum, et (postea) loquar super cor illius.

SECTIO I. EXEGETICA.



Aticiniorum, spiritus diuini impulsu a sanctis DEI viris prolatorum, hunc esse, praesertim in praedicendis futuris Ecclesiae factis, nexus atque ordinem, ut recensisit gratiosus con-

Conne-
ctendi ra-
tio in Pro-
phetis con-
spicua.

uiterque reprehensis impiorum facinoribus, et denunciatis ob ea iustis DEI iudiciis, ad pios, qui his irae diuinae comminationibus terrefacti, se finunt perduci ad poenitentiam, confortandos inque afflictionibus erigendos, adiungantur insignes de eorum liberatione emalis, tandem euentura, promissiones, nemini poterit esse obscurum, qui saltem eorum scopum atque exactam inter se conuenientiam adcuratius quodammodo perpendere. Adparebit enim exinde, magnum esse iustitiae bonitatisque diuinac temperamentum, et ex immenso Conditoris

nostris erga genus humanum amore hoc profluere, ut seuerioris iudiciorum, quam cum impiis cogitur inire, viam cum benigniori commutet saepissime, et vtraque ad salutem nostram vtatur; illa quidem, ut a peccatis deterreamus perpetrandis, atque ad frugem redeamus; hac vero, ut bonitate ipsius toti in eius pertrahamur seruitium. Hoc enim usque adeo est manifestum, et hominum adulget menti, ut vel ipsi coecutientes agnouerint Iudei, quo-

rum docti haud incommode Tract. Talm. י' cap. 1. haec sunt effati: בַּיּוֹן שָׁרָאָה הָעוֹלָם כָּלּוּ מִתְחִיּוֹב בְּרוּן עַוְמָד מִעַל נֵסָא חֲרוּן וּוֹשֵׁב עַל נֵסָא רְחָמִים DEVS quando viderit totum mundum se reum reddere in iudicio, surgit a throno iudicii, consideratque in throno misericordiae; qui Hebr. II. 16. οἵτος τοῦ καθελος dicitur: conf. Rom. XI. 32. 33. Magnam autem haec ipsa lucem adferunt difficultimis vatum sacrorum effatis, si bene eadem ponderentur, praeprimis Hosaeae vaticinio, utpote in quo hic ordo quam maxime est conspicuus, ut comminationibus ob commissa flagitia propositis subiungantur promissiones, quod doctissimus inter Iudacos Commentator R. Abarb. ad locum Hos. II. 16. probe animaduertens generatim monuit: כִּי רְדוֹן הַנְּבִיאִים לְהַכִּיא הַנְּחֻמוֹת אַחֲרֵי הַתְּבוֹחוֹת Hic est mos Prophetarum, ut consolationes adiungant reprehensionibus et castigationibus; quo ipso hunc locum de promissione diuina esse explicandum, voluit significare.

Dicit
nostris
Συνάφεια
seu con-
textus in
genere.
II. Et sane impiae Israelitarum gentis tum ingratitudine tum idololatria iuste reprehensa, iudiciisque DEI denunciatis, beneficiorum diuinorum hoc in versu incipere promissionem, eamdemque per totum deinceps caput continuari, haud quisquam facile poterit dubitare, qui vel leuiter saltem Prophetae inspicerit argumentum. In eo autem Celeberrimus Exegeta, D. Seb. Schmidius a com-

communi interpretum recedit sententia , quod promissio-
nis in altero demum huius versus hemistichio censeat fieri
initium : cum reliqui pene omnes primis statim verbis de-
pingi existimant id, vnde inchoare debeat gratiae in confe-
rendis bonis declaratio ; quas vero sententias infra sumus
examinaturi . Interim vera tubiunctae bonitatis diuinæ
ratio atque fundamentum inexhaustus est DEI amor , qui,
ne tantis calamitatibus , quas prædicere ipsis debebat va-
tes , tamdiu perciti , plane desperarent Israëlitæ , Spiritus S.
gratiam viresque , ad eos fortiter confortandos erigendos-
que , denuo pollicetur : quae fere est haud contemnenda
in *Bibl. Belg.* animaduersio . Toties vero iteratae promis-
sionis diuinæ , si generatim inquisueris caussam , est ea , vt
moneantur pii , quo profundam DEI caritatem deuotis
sanctisque agnoscant animis , eique ob liberationem , ex tot
tantisque calamitatibus certo tandem euenturam tribuant
laudem , potentiam , atque gloriam ; quae etiam omnium
sanctorum ex variis generis tribulationibus ereptorum vox
tandem erit vñisona ; vid. *Apoc.* VII. 12. et 14.

III. Inprimis vero de hoc disquiri videas apud in-
terpretes , quomodo coniungi hic versus debeat cum pro-
xime antecedenti ; vbi in diuersas abeunt sententias .
Praecipuam enim difficultatem parit illatue plerumque
reddita particula ॥ quod , praemissa iudiciorum denun-
ciatione peccatorumque redargutione , difficulter inferri
posse videatur diuina quaedam promissio . Existimant
igitur , quorum e numero praecipue considerandus venit
Dominus D. Tarnouius in *Comment. ad b. l.* quod hic innua-
tur illud : quia via seueriori **DEO** res non processerit , aliam
ipsum esse adgressurum , ut , quod iudiciis suis non potuerit effi-
cere , id demum blanditiis sit effecturus , quo impia synagoga
relictis amatoribus suis secum redeat in gratiam ; et sic ob-
seruat

*Connexia
cum versu
antece-
denti in
specie
indivisi-
tur.*

seruat idem, particulam **לכן** potius esse ordinis, quam causallitatis. Seb. Schmidius autem, quia, ut praecedente paragraphe iam est monitum, iudicium diuinum adhuc declarare putat huius versus initium, illatuum retinet significacionem. Interea peculiaris hic est Ab. Esrae opinio, qui coniungit hoc modo: *Cum rescuerit synagoga flagitiosa, totum hoc mali sibi evenisse, eo quod mei est oblitus, et primum quidem ignorauit, quod ego ei benefecerim; cumque dixerit: Ibo et reuertar ad primum meum maritum; tum pelliciam eam verbis.* Verum recte quidem monetur ab aliis, quod nimis remota sit haec connexio, licet, si particulae **לכן** velis retinere inferendi significatum, non tam videri possit absurdum, cum necesse sit, hoc in casu aliquid subintelligi. Quare mihi quidem, si dicendum, quod res est, ea sententia, quae statim inde a versus initio adserit designari promissionem, altera, quae est Seb. Schmidii, nixa videretur fundamento firmiori. Etenim vix sufficienter existimem posse probari, nouum, quod per integrum deinceps caput continuatur, in medio commatis inchoare argumentum, praesertim ob **וְ** intra versum positum, verboque (**וְרָא**) praefixum, quod difficulter admodum nouae significatum gignit periodi, per *tandem tamen*, ut ille quidem facit, reddendum. Interim reliquae interpretum sententiae facilis negotio possunt inter se conciliari, cum re ipsa et quoad fundamentum, de promissione comma hoc nostrum accipientes, conueniant, quamvis speciatim quoad ordinem connexionis ipsum nonnihil a se inuicem discedere videantur. Si quid tamen in me est iudicii, quod sentio, quamvis exiguum, statim a versus primordio nouum plane incipere argumentum mihi habuerim persuasum, quod *bono ordine* praecedenti erat adiungendum, ita, ut serie temporum successiva iram DEI in antecedentibus

bus ostensam hoc in commate excipiat eius gratia in ipsa
Israelitarum futura conuersione tandem redditura ; quam
sententiam mox exhibebimus clariorem.

IV. Quandoquidem vero in ipsis textus nostri locutionibus, singulisque vocabulis non exigua latet difficultas, de iisdem exponendis nos oportet nunc esse sollicitos. Quod igitur ad recte eruendam attinet particulae significationem, bene monitum arbitror a Tarnouio, eam non esse *causalitatis*, vt loquitur, verum ordinis; vel ut alias adpellare consueuimus, *consecutiuam*, seu *continuatiuam*, atque recte reddi posse: *posthaec*, *postea*; quo significatu et *Risetus* transtulit. Fundamento autem haud infimo hanc nisi expositionem, ex eo potest comprobari, quod **וְאַתָּה** deductum, vi suae radicis, ex *Arabicae* atque *Aethiopicae*, cognatarum linguarum, influxu, quibus ea denotat: *Fuit*, *exstitit*, non tantum veram et realem existentiam, firmatem et certitudinem; verum etiam accidente praefixo designet *Pronomen Demonstrativum* hoc, quod rem veram et firmiter existentem, siue sensui, siue intellectui fistit representatam; quemadmodum v. g. *praemissō* **אַחֲרֵי** *postea*, *posthaec* significat, ex communi omnium translatione. Quare, cum praefixum particulae nostrae **וְ** non tantum propter, (prout solent accipere, propterea reddentes) sed et alias inuoluat praepositiones; v. g. *ad*, *in*, *post*, et similes: recte etiam reddi posse *adhæc*, *posthaec*, *postea*, non ausus fuerim inficiari; conf. *Ier. XVI. 14.* Illum autem significatum, quem h. l. ponunt *Lud. de Dieu* et *Nold. in Concord. Partic.* vt scilicet idem sit, ac attamen, *nihilominus* tamen, firmo arbitror destitutam esse fundamento; cum et ea, quae *Noldius* adducit, ad sensum istum confirmandum, vel per *postea*, vel per significationem *illatiuam* possint commode transferri. Exinde tandem liquet, ad declarandam huius

B

cum

cum versu proxime praecedente coniunctionē, confirmā-
dumq; nexus in eadem oratione continuatum, tanta non
opus esse inquisitione, cum hic nouum plane incipiat argu-
mentum, remotissimis demum temporibus implendum,
postquam obuenturae populo commissa ob peccata, inque
antecedentibus praenunciatae calamitates diurnae for-
titiae fuerint eventum, vt ita, vbi in synagogam rebellem
animaduersum tam longo tempore a D E O fuerit, postea
eam allecturus sit, atque in desertum deducturus, a quo ince-
ptum hoc ad finem vsque capit is prolequitur sacer vates
vaticinii sui argumentum. Praeterea non multum a nostra
sententia discedit Hieronymus, hoc modo verba circumseri-
bens : Postquam reuelata fuerit ignominia meretricis, et redi-
diderit ei Dominus cruciatus : tunc aperiet spem salutis et da-
bit locum poenitentiae etc.

Sensus
vocabum :

הנה Ecce.

V. Ceterum hanc conuersionis promissionem maxi-
me etiam confirmant verba sequentia : הנה אָנֹכִי מַפְתִּיחַ
Ecce ego eam sum pellecturus ; quae rem quasi praesentem
fistunt, more Prophetis consueto, ob indubitatem promis-
sionis certo secuturae impletionem, firmamque certitudi-
nem. Praeprimis autem vocabulum הנה excitatorium
monet, vt attentis deuotisque animis haec consideremus,
pieque meditemur, quemadmodum nostrae est consuetu-
dinis signo NB. rem denotare prae ceteris notatu dignam,

vt saepius MAGNIFICVM DOMINVM P R A E S I D E M זְיוֹן
in suis Collegiis Exegeticis memini monuisse. Nec vox
Ego. אָנֹכִי est praetereunda, vtpote quae Auctorem nobis in-
signis huius promissionis non tantum, sed certo futurae
etiam rei promissae impletionis, D E V M T. O. M. omnis
gratiae fontem perennem, super omnia laudandum in
secula, qui omnipotentiae suae brachio omnia potest effi-
cere,

cere, quae nostras vires longe transcendunt, significanter exprimit, loco nominis *Iehouah*, qui hic loquitur, et solus dicere potest: אָנָּי אֲהֹוָה וָנוּ *Ego sum, qui sum,* posita, eo ut eius agnoscamus, sancteque deueneremur potentiam, quod adeo mirandum in modum cuncta possit producere, producta conseruare et perficere; ex quo nata est visitata ista vatibus dicendi ratio, qua rei cuiusdam extra dubium positae dant quasi complementum: כִּי אָנָּי יְהוָה רַבָּרוּ
Nam ego DOMINVS sum locutus. conf. *Luc. I. 37.*

VI. Insuper de verbi מְפַתֵּיר genuino sensu iuxta *Sensus* alios notamus, id esse μέσον, seu tale, quod tam in bonam, vocis quam malam partem accipiat, atque hic priori modo מְפַתֵּיר debeat accipi, vt praeter *Grotium* et *Schmidum* interpretes fatentur; vnde mirari subit *D. Schmidum*, exactissimum alias Exegetam, elegisse posterius, et per suasionem non verborum, sed operum diuinae directionis exposuisse, quasi diceret: faciam, ut veniat in desertum tam mirabili prouidentia, quasi clam blandis verbis, nemine sentiente, meam intentionem ei persuassim. Loci enim, quem ad sententiam suam confirmandam adducit, *Ezech. XIV. 9.* vbi de DEO dicitur: אָנָּי יְהוָה פָּתַחְתִּי אֶת הַנְּבִיא הַרְאָה *Ego Dominus seducam Prophetam illum*, nempe seductorem, vt paulo ante dicebatur; non eadem est ratio cum praesenti nostro. Siquidem illic non de seductione proprie dicta, sed vel de aliquo ad iudicium suum tractu occulto, vel seductionis tantum declaratione fit sermo, quod Nostrates Theologi ostendunt contra *Calvinianorum* dogmata, hic vero talis expositio locum non inueniat, vt vel ipse aliter cogatur explicare, cum de directione operum prouidentiae hic intelligat; vt supra vidimus; licet idem

hic significatus vix sufficienter ex S. Codice videatur posse probari. Accedit et hoc, quod nulla requirat necessitas ita vocabulum hoc exponendi; cum omnia in priori acceptione bene fluant, et nec antecedentium nec consequentium nexus, quidquam impedit. Quamobrem rectius, ut quidem videtur, Tarnouii ceterorumque commentatorum se habet sententia, qui sensu accipiunt priori, cum quibus et Chald. Paraphrasles forte, si locutionem respicias, consentit, qui ita transfert: **אָנָּא מַשְׁעַבֵּר לְהָ לְאֹרוֹתָא** Ego subiiciam eam legi. Praeterea non incommode cum nostro **פָתָח** confert Tarnou, inde, ex nonnullorum, et Megalandri quoque Enarrat. in h. l. sententia, ortum πειθα ex N. T. vsu, vbi de praedicatione verbi Euangelici accipitur, ut A&. XIII. 43. XIIIX. 4. XIX. 18. XXIX. 23. *Haec enim, dicente Lutherō, vera Pitho seu suada est, qua capiuntur animi.* Imo, ut paucis plura complectar, quam late se praeſens extendit vaticinium, tam late & vox **מִפְתָּחָה** erit extendenda. Interim LXX. seducti sunt et seduxerunt alios, quando reddiderunt *f̄educām eam*, **מִפְתָּחָה** (mirum, cur non **מִפְתָּחָה** adhibuerint, quod magis cum Hebr. **פָתָח** convenit) Hieronymus putat, eos ad Antichristi tempus retulisse, ut qui Christi non receperint veritatem, illius recipient mendacium, et postea Christo adueniente saluentur. Sic senserunt, nobis non sunt aduersi.

*Sensus
verborum
והלכתיות
המרכבה*

VII. Deinde deductio in desertum verbis expressa: rursus diuero sensu accipitur ab interpretibus. Quidam enim in malam trahunt partem, ut intelligatur *captiuitas* & *exilium* Israelitarum, sicque per *cum vel postquam* vertunt *l* praefixum; alii vero in bonam, intelligentes per desertum vel *Ecclesiam*, vel *liberationem*, & quae sunt alia, retinentque significationem copulatiuam. Cum priori sententia conuenire videntur LXX, qui ita

ita hanc locutionem reddiderunt: **אָלֶה תְּמִימָה אַנְתָּךְ וְאַלְמָנָה;**
 atque secutus est eos *Interpres Arabs*, qui iuxta eruditorum sententiam ex illorum translatione suam adornauit versionem, ita interpretans: **קְפֵרָא לְאָנוּלָהָא** et ponens (*disponam*) *eam in solitudinem*, quasi illam extremam devestationem atque dispersionem Israelitarum intellexissent.
 Praeterea notandum et hoc est, vocabulum vel proprium vel translate accipi in sacris literis, interdum et utrumque significatum coniungi, prout quidem contextus et vera expositionis ratio id videtur postulare: quod ideo monemus, ut eo melius discrepantes, quas iam adduximus et infra adducemus, conciliari atque dijudicari possint intepretum sententiae.

IX. Hoc desertum, in quod erant deducendi Israelites, suavi nexus excipit consolatio: **וְרֹבְרֹתִי עַל לְכָה** et phraseos *loquar ad cor eius*; quae esse verba solatoria nemo vocabit in dubium, qui modo Hebr. et OO. LL. indolem habuerit perspectam. conf. Esa. XL. 1. 2. Iud. XIX. 3. Sic enim Jonathan ea circumscribit: **אַמְלָל תְּחֻרְמֵין עַל לְבָדָא** *Loquar consolations ad cor eius.* Similiter Syrus *interpretes in N. T. phrasin Graecam*: **ἴα παρεχούμενας άυτάς Ioan. XL 19. vertit:** *ην ταχαλέντες μόνοι παρεχούμενοι* transfert: **בְּעֵין הַוִּין וּמְלֵז הַוִּין בְּלַבְכָּרוֹן** *Hortati summis et locuti ad cor vestrum.* Vnde eleganter hanc locutionem ex linguae indole exponit R. Abarben, qui sic ad h. l. scribit: **אַרְבָּר עַל לְכָה רְנִירִים טוֹニִיס רְנִירִים נְחוּמִים** *وּחֲרָבוֹר הוּא שִׁיחָן לְהַם לְבָ אַמְּרֵץ לְסִנּוֹל כָּל חְלָאוֹתֵיכֶם* *Loquar ad cor eius verba bona, verba consolatoria;* et sermo hic est, qui illis confortabit cor, ad sustinendum omnes molestias suas. Imo et in Graecorum pariter ac Latinorum lingua haec phrasis locum habet. Apud illos enim *παρεχουμενας*

θέοπας, quod vertunt, *consolor*, nihil aliud est, si originem
species, quam *alloqui*, ex primitiuo μῆνος, quod verbum,
orationem significat; vt *Homer. Iliad. I.*

Μῆνων τε ἡμέτηρ, πεντήκορφη τε ἔργων.

Verborum Oratorem esse, factoremque rerum. Vnde deriuatum
μυθέοπας significat dicere, loqui; vt est apud *Hesiodum*
Op. et Dier. vers. 10.

--- Εγώ δέ κε Πέρσην ἐπίτομα μυθοπαιίην.

Ego vero Persa vera loquar.

Apud hos autem *Alloquium usurpari pro solatio*, testis est
Ouid. Trist. libr. I. Eleg. 7.

*Quid fuit, ingenti prostratum mole sedalem
Visere? & alloquii parte leuare tui?*

Ex his igitur fundamentis altius quodammodo, *Abarb.* su-
pra citatu forte secutus hanc phrasin indagauit *Schmidius*,
qui putat inuolui ea comparationem cum medicamentis
confortantibus, (Germ. *Herz-Stärkung*) quae quidem
ad illustrandam hanc phrasin, omniumque verborum
textus nostri expositionem iam possunt sufficere.

*Quid haec
contineat
promissio?*

IX. Tandem ad considerationem promissionis hu-
ijs diuinae devenimus penitorem, obseruaturi, quid in
ea contineatur. Atque vt a Patribus ordiamur, *Theodo-
retus* haec iuxta literam *Zorobabelis* tempore accidisse vult
in typo; quamuis Euangelicam promissionem non ex-
cludat, sed re ipsa impletum esse in antitypo, Christo ad-
ventante, profiteatur. Sed cum haec, et ea, quae sequun-
tur, multo sint maiora atque sublimiora, quam quae *Zo-
robabelis* acciderunt temporibus, haud commode poterit
ad illa applicari, praesertim quum haec promissio, euin-
cente toto contextu, non tam ad Iudeos sit directa, quam
Israelitas, quorum si aliqui, certe tamen pauci, in terram
redie-

redierunt Iudaicam, eo tempore, quo duae tribus, *Iuda atque Benjamin* ex Babylonica reuersi sunt captiuitate. Hinc alii, inter quos sunt *Hieronymus, Rupertus, Cyrus*, tantum de negotio Euangelii verba accipiunt, cum qua sententia plerique conueniunt, nisi quod de tempore impletionis, atque quibus haec promissio debeat applicari, non consentiant. Dantur enim non pauci, qui Apostolorum et primae praedicationis Euangelicae tempore haec censeant esse impleta. Verum paucissimi inter Iudeos, ut taceam Israelitas, lucem receperunt Euangelii. Vnde alii, qui forte haec ipsa viderunt, de Christianis, in locum Iudeorum succendentibus hanc intelligent promissionem, cuius etiam sententiae est *Osiander* in *Bibl. suis*. At vero cum hic adeo significanter expressae adhibeantur locutiones, ad Israelem directae, non nisi admodum coacte ad Christianos iuxta literam haec applicari posse arbitramur. Quare maior fundamento eorum nititur sententia, qui impletionem adhuc in gente Israelitica pariter ac Iudaica sperant futuram; cum ea, quae *Hof.* III. 4. 5. coll. *Rom.* XI. 25. 26. & *Luc.* XXI. 24. leguntur, tam sint perspicua, vt nullum possint sufficienti ratione impugnari. Theologorum autem nostrantium si desideraueris testimonia, adeas B. *Speneri spem meliorum temporum*, vbi magno numero ea videbis esse allegata. Vid. omnino *Luth. Postill. Eccles. in Fest. Steph. et Bai. Theol. Posit. Part. I. cap. X.* §. III. lit. (h) pag. 421.

X. At de deserto, in quod eos deducturus est Deus, *Quale sit*
maior videtur esse difficultas: vbi iam in antecedsum §. VII.
desertum,
monuimus, vel in bonam vel malam partem id accipi ab in-
terpretibus. Ex Iudeis AbenEsra putat designari redditum in
terram Israelis, dum sic exponit: *הַלְכָתָה אֶל אֶרֶץ שָׁבֵן כִּמְרֹבֶר* Et deducam eam in terram suam, quae reda-
Rabb.

Etta est quasi in solitudinem. רְשֵׁי autem eo designari putat *Sententiis.*

והולנתר המרבר מטבר exiliū et captiuitatem, qui haec habet: בְּגֹלוֹתָה שַׁהְיָא לְחֵם נִמְרָכֶר וְצַוָּתֶר Et deducam eam in desertum, i.e. exilium, quod ipsis est instar deserti et solitudinis. Abarbanel vero, plane ei adsentiente Davide Kimchio, locum Ezech. XX. 35. adducit, cum quo hanc confert prophetiam, inquiens: והולנתר המרבר מסנין מה שאמור יוחאל והכהני אחנים אל מרכז העמים Et deducam eam in desertum, conforme est ei, quod inquit Ezechiel: Introducam vos in desertum popolorum, et disceptabo vobisum a facie ad faciem. Atque hae sententiae sunt Iudeorum de hoc praecipuae.

Ex Christianorum expositionibus.

XI. Inter Christianos equidem variae sunt de eo explicaciones, quas supra iam attigimus. Existimant enim aliqui, his denotari calamitates et mala superuentura, ut iis pressa tandem configiat ad Dominum, veramque agat poenitentiam Synagoga. Quae quamvis suo fundamento non destituantur, rem tamen totam nondum conficiunt; siquidem haec ad ultima demum tempora, ubi dispersio eorum mox cessabit, ut hic confirmant sequentia, videntur esse referenda. Vnde melior forte Tarnouii, qui de segregatione a seculi huius filii esse sermonem iudicavit, emergit sententia, quae vel maxime in populo DEI post ipsius conuersionem erit conspicua. Comparisonem autem quamdam alii agnoscunt esse inter desertum Aegypti, et ecclesiam, quae sit locus ab Aegyptiis h.e. infidelibus seiuictus, in quo DEVS animam libere alloqui queat, quae h.l. Riberae est obseruatio. Haec si ad Israelem aliquando conuertendum velimus applicare, bona emerget promissionis huius expositio, iuxta Spiritum Israeli tandem obuentura. Tum enim reuera conspicuum erit in illis, quod inquit Iesaias: *Quiescendo atque in spe erit fortitudo vestra.*

vestra, cap. XXX. 15. cum haec omnia in corde Seruato-
rem vera fide amplexo non nequeant inueniri. Et
quidem in tali solitudine experientia discent, Dominum
ad animam eorum locuturum, ipsos per Christum con-
solaturum, suorumque gratiae bonorum in aeternum fa-
cturum esse participes.

XII. Denique hanc *Hoseae* promissionem quidam, *Peculia-*
qui sibi penitus quodammodo introspicere videntur di-
uisina oracula, cum mulieris illius Apocalypticæ mysterio, *rum de-*
quod *Apoc.* XII. habetur, censem esse conferendam. Ibi *hoc sen-*
enim de foemina illa dicitur, quod puerum fuerit enixa:
vbi mulierem Ecclesiam Iudaicam, puerum vero Seruato-
rem nostrum sensu mystico, vt *Gal.* IV. 19. designare pu-
tant, quem corde poenitenti illa aliquando sit amplexura.
Praeterea quoque illud de muliere ista, quod fugerit in
desertum, vt ibi nutriatur, tunc futurum credunt, quando
vltima illa persecutio, duobus istis testibus prophetanti-
bus, quam bestia de abyssو denuo resumis vndique viri-
bus ascendens, excitauerit, sit euentura, vt a conspectu
draconis, eam persequentis, secura lateat, quo *Hoseam* re-
spexisse coniiciunt, dum ait: *Deducam eos in desertum.*
Quamvis vero *Iudam* non in aliquod propriè sic dictum
desertum eo tempore deuentur existiment, cum iuxta
Danielis cap. XII. 6. effatum, tempore persecutionis vlti-
mae, *dispersio sancti populi* demum sit finem sortitura;
Israelis tamen decem tribus, a Salmanassare in captiuita-
tem, de qua hodienum nondum redierint, abductas, qui-
bus de Prophetam nostrum loqui contextus comprobat,
in proprie ita vocato aliquo deserto fore congregatas exi-
stiment; reliquas vero duas, quae etiam sub Apocalypticæ
mulieris figura repraesententur, adhuc tamen versen-
tur in dispersione, in certa quadam deserti specie, a priori
C diuersa,

diuersa , fore a DEO detentas , vt ab ira serpentis , et conci-
tatae ab eo ad persequendum sanctos bestiae tutae lateant
atque saluae , donec vltima demum eueniat ex omnibus ca-
lamitatibus liberatio , in glorioso CHRISTI Regno mani-
festanda ; conf. IV. Efr. XIII. 40-46. Tum enim maxi-
me per filium suum illas consolaturum , vt hic verbis :
וְרָכַתִּי עַל־לְבָנָה dicitur , atque ex deserto illo iterum
emissas reducturum in terram suam esse , confirmingantibus
haec ipsa sequentibus , vbi de vinearum et vallis Achoris
redditione est lermo , arbitrantur , atque conferri iubent loca
Ier. XVI. 14. 15. XXX. 3. Ez. XX. 41. 42. XXXVII. 3. et alia,
e quibus haud obscure possit colligi , restitutionem totius
Israelis tandem in integrum esse futuram , cum adeo signifi-
cantibus id ipsum locutionibus soleat efferri . Ut vt au-
tem haec sese habeant , quae cuiusque boni libero relinquimus
iudicio , nec certo definire audemus : id tamen forte
dicere sine temeritate possumus , ex rationibus supra indi-
catis , sicut de omnibus vere credentibus , ita et de Ecclesia
Israelis olim ad Saluatorem conuertenda recte posse enun-
ciari , quod Cant. III. 6. dicitur : quae est illa , quae ascendit ex de-
serto instar columnarum sumi ? suffumigata myrra et thure ,
puluereque aromatarii . Tum illa erit foemina , quae ex de-
serto venit , dilecta suo se ad socians (vel vt eleganter Lutherus
expressit : die sich auf ihren Freund schuet) densis amo-
ris funibus ab eo attracta , Hos. XI. 4. Omnia autem solius
DEI sapientiae in his atque talibus interpretamentis com-
mittentes , sequendum ducimus esse D. Pauli monitum ,
qui I. Thess. V. 20. 21. non frustra nobis vult esse commen-
datum : Prophetiam ne nibili faciat . Omnia probate , re-
ginentes bonum , quod scilicet conduceat ad laudem DEI
cuiusque gloriam in aeterna secula celebrandam .

SECTIO

46) 19 (50
SECTIO II. PRAGMATICA.

I.

Absolutis hisce, quae circa *verborum reique contentae* explanationem secundum regulas Exegeticas debent admoneri, progredimur nunc ad specialem argumenti nostri considerationem, ea, quae de *Deserto*, ut aiunt, *Mystico* ad nostram aedificationem videbuntur pertinere, per DEI gratiam obseruatui. Atque ut a vera nominis significatione ordiamur, multis quidem peregrinum quoddam et Scripturae Sanctae ignotum videri posset vocabulum. Verum expendere velimus hos atque tales, qui haec cogitant, quale illud sit *desertum*, ex quo, dicente per *Salomonem S. Spiritu CHRISTI*, sponsa ascendiit *Cant. III. 6. et VIII. 5.* an non mysticum esse concedent, et concedere debent? Deinde, quale, quae^so, determinatum voluit significare *Iesaias*, dum in promissione, N.T. temporibus adimplenda, cap. XXXV. 6. inquit: *Tunc sub-siliet claudus ut cerus, cantabitque lingua muti,* כִּי נַבְקָעַ רֹאשׁ מֵיס וְנַחֲלָם נַעֲרָה *quia scindentur in deserto aquae et flumina in solitudine?* Alia loca quamplurima breuitatis causa praetereo, quae *D. Io. Cluverus Comment. in Apocal. XII. 6. Tom. III. p. 86. seq.* adduxit, vbi diserte fatetur, *mysticam esse hoc in loco deserti significationem*, allegaque nostrum ex *Hosea* locum inter alia: conceduntque plerique interpretes, *Hoseam alludere ad populi Israëlitici deductionem ex Aegypto in desertum*, ac eo ipso fatentur, non proprie, sed mystice intelligendum esse desertum in vate nostro. Etsi vero etiam huius mystici sensus hoc in loco et alibi non reperi remus manifesta vestigia, quid impedit, quo minus, si quidem fidei analogiae sit conformatis, hunc ad animae nostrae aedificationem possimus usurpare sensum, quem ex textu nostro eruere iuuat, in

facta deserti mentione? Ipse enim D. *Apostolus Gal.* IV. illam historiam, quae de Abrahamo sensu literae tantum agebat, ad mysticam applicat doctrinam, quem exponendi morem haud adeo inauditum fuisse in primitiva Ecclesia, sed sanctis Apostolorum successoribus in usu fuisse, ex eorum facile constare poterit testimoniis, quae passim exstant, praestantissimis.

*Iuxta
Mysticos.* II. Apud ipsos sane scriptores Mysticos frequens est haec appellatio. Vid. *Henr. Harphius Th. Myst.* L. I. P. II. Cap. XXXV. p. 217. vbi pro *solitudine mentis* Hoseae adducit verba: idemque fecit Molinos in manud. spirit. L. III Cap. 12. quando probaturus, *solitudinem interiorem ad adquirendam pacem interiorem ducere*, haec ipsa allegavit verba. Verum non hac tantum vtuntur voce *Mystici*, sed varia insuper habent Synonyma. Sic *secessum mysticum* vocant et prouocant ad Matth. VI. 6. vbi *Saluator monet*, vt *orantes intremus in cubiculum nostrum*, per quod *secessum ad interiora* intelligunt, id est, corda, secundum Augustinum. Magnif. D. laegerus in *Exam. Theol. Myst.* Cap. 16. scribit, se hunc *secessum mysticum nec velle, nec posse taxare, si, ut a sanioribus quibusdam mysticis expositus est, consideretur; cum et Saluator noster orans plerumque in solitudinem secesserit, et ex toto spiritu preces ad patrem suum coelestem miserit. Vnde etiam (inquit) vere pius nil magis exoptat, quam ut a mundo non corpore tantum, sed et animo abstractus, curis omnibus temporalibus abire iussis, et sensibus renocatis, SOLVS cum Deo loqui et agere possit. Nuncupatur quoque iisdem collectio *Mystica*, qua omnes cogitationum nerui ac vires, cum omnibus mentis facultatibus, ad vnicum illud necessarium *Luc. X. 42.* pie meditandum, congregantur quasi a dispersione, et felicissimo illi obiecto addicuntur. Mox *ingressum ad interiora* vocant, vbi egreditur anima ex mundo omnibusque externis, & ad integrum*

interiora se vertit; *cum regnum Dei sit in nobis*, dicente ex vero veritatis ore, Seruatore nostro Luc. XVII. 21. Imo non inusitata apud illos est *mortis mysticae* mentio, quae huius deserti videtur esse *synonymum*, qua omnibus rebus mundanis per suimet ipsius abnegationem quasi moritur anima, et voluntati Dei sine ullo strepitu se totam submittit. Cumque et Ethnici, ut *Plato* in *Phaedone* atque ex iis *Cic.* *Tusc.* 1. illam Philosophorum mortem commemorent, ob solius in re terrena indagationem, quidni Christianos porteret ad illud *βεαταν* 1. Cor. IV. 24. adipiscendum, omnibus aliis relictis quasi morte quodam felici consumi, et hanc pro assequendo illo diligentem indagationem mortem appellare sanctam?

III. Duplex autem, ex *Zauleri* (a Luthero T. I. Ep. ep. 23. *Duplex ad Spal.* p. 32. it. T. I. len. p. 86. commendati) sententia datur sensu mystico acceptum *desertum, malum aliud, alterum bonum.* Malum Dom. III. Adu. ex Latina *Suri* interpretatione sic describit: *Desertum malum est, quando cor humanum vanitatibus plenum, virtutibus, amore, ac coelestibus est desideriis defitatum, et in animae templo nullus diuinae laudis cultus pergitur, eo quod oues domus Israel, id est, cogitationes bonae dispersae sint, unaquaeque in viam suam.* Dari eiusmodi desertum malum, testatur totus mundus in malo positus, et se magis magisque corrumpens in dies, alienatus a vita, quae ex Deo est, Eph. IV. 18. et immeritus omnibus vanitatibus ac vitiis, qui Christum non vult imitari, ut requiem inueniat animae suae, Matth. XI. 29. Vnde iustam cum Hos. IV. 1. seq. conquerendi causam habemus: *non est veritas, non scientia Dei, non caritas in terra, sed maledictum, mendacium etc.* Auctor huius deserti primus est diabolus cum suis angelis, *qui non custodierunt principatum suum, sed reliquerunt proprium domicilium,* Epist. Jud. verl. 6. Ille primus Euam in desertum hoc malum deduxit et seduxit, Gen. III.

1. ff. Ille est ὁ θλαστὸς τῆς ὀπίμενης ἡλιοῦ, Apoc. XII. 3. 9. Ille excaecat infidelium mentes, 2. Cor. IV. 4. easque corruptit, 2. Cor. XI. 3. in iis operatur, Eph. II. 2. Ille homines fascinat, ne veritati obsequantur, Gal. III. 1. sed credant mendacio, 2. Thess. II. 9. seqq. idque faciant, Apoc. XXII. 15. et sint sicut mare impetuosum et impulsum, quod quiescere non potest, et cuius aquae eiciunt coenum et lutum. Vnde etiam pacem non habent, Esa. LVII. 20. 21. quia non sectantur pacem, ut par erat, et sanctimoniam, Ebr. XII. 14. sed ita terrenis euris et voluptatibus illaqueati sunt, ut se extricare nequeant, & misere tandem pereant, nisi B. Macarii salubre consilium mature arripiant et sequantur, Hom. I. §. X. hunc in modum scribentis: καὶ εἰ σὲ πέπτουσαι, αὐτὰ πλωχεῖνται ἐκ τῶν τυλιγότων πνευματικῶν ἀγαθῶν, λύπην, καὶ πένθος, καὶ πόνου ἀδιάλειπτον ὄφελεις ἔχειν· ὡς ἀκριβὴν νεκρὸν ὃν αἴτοι τῆς βασιλείας, καὶ ὡς τραύματος, αἱ βάσα τρόποι τοῦ Κύρου, καὶ ἀτέοι πιστῶν, ἵνα καὶ αὐτὸς ταῦτα τῆς ἀληθινῆς ζωῆς πατεῖαθῆται. Quae sic versa exhibet doctissimus editor D. Pritius: *Et si non possideas, ac tantorum spirituum honorum egenus sis, tristitiam, moerorem ac luctum perpetuum habeto, velut adhuc mortuus a regno, et velut sauciatus, continuo clama ad Dominum, et pete confidenter, ut te quoque hac vita dignetur. Haec omnino vera via est, qua ex deserto malo, in quo miseria Satana suisque cupiditatibus irretiti detinentur, felicem possunt inuenire exitum, et in desertum bonum introitum.*

*Deserti
boni de-
scriptio.*

IV. Bonum igitur deserto sic posse describi arbitramur; quod sit animae fidelis et sanctificatae status, quo ea, suauiter a Deo promissionibus Euangelicis, earumque gusto tracta, derelictis omnibus, quae terrena sapiunt, per veram sui abnegationem, omniumque facultatum ad interiora collectionem, solitariam intra se et abstractam agit vitam, ut sibi et Deo possit vacare, ad voluntatem eius perficien-

ficiendam. Audiarnus hic quoque Tawleranus, qui l. c. ita illud depingit: *Bonum ac fertile desertum est, ubi perturbationum, passionumue tempestas procellosa sedata, ac mundanorum anfractus desideriorum, affectusque creaturarum, a corde et intimo mentis penitus sunt profligati; quae quidem eius modum et conditionem significanti satis locutione exprimunt.* Sandaeus etiam haud multum ab allata a nobis definitione discedit, qui sic secessum Mysticum in Theol. Myst. p. 287. describit: *Est animae contemplativae, omniumque eius potentiarum, ab exterioribus auocatio, et ad interiora collectio.* Cui maioris illustrationis gratia adiicio et illud, quod (citante Gottofr. Arnold. in Traet. Germ. von den Abz. wegen der Frommen Lib. II. cap. 8. §. 46.) reperitur apud Ambrosium Ansbertum Lib. V. in Apoc. XII. his fere verbis: *Quid verum desertum aliud est, quam quies animi, quae inordinatas affectuum illecebras, ex corde eliminat, et in DEO solo inuenit solatum.*

V. Ceterum, si quaeras, quis animam ita resignatam deducat in desertum, respondeo, nemo est nisi SANCTISSIMVS IEHOVAH, qui per Prophetam nostrum ita loquitur: *Ego deducam eam in desertum.* Facit autem hoc, dum densis funibus amoris nos attrahit, uti Hoseas XI. 4. ait, ex mera sua misericordia et bonitate. Ipse enim, qui nostram salutem ardenter studio, quam vel nosmetipsi facimus, quaerit, non potest animas nostras infelici rerum terrestrialium cura relinquere distractas, sed vel maxime nos cupit esse in suae gratiae plenitudine beatos, utpote, qui *Ipse* est caritas, I. Joan. IV. 16. Quare suo semper Spiritu iis est praesens, qui se finunt duei ac trahi, eosque admonet, ut se conferant ad interiora animae, ipsumque in ea finant requiescere, ut cum illa colloquatur. Hoc vero nihil est aliud, quam deductio in beatum illud et feli-

cissimum

cissimum desertum, in quo loquitur ad cor hominis, dicente Propheta. Ad haec subiicio eximia B. Arndii de *Vero Christ. lib. III. cap. 15. §. 1. in fin. verba*: *In eo igitur res agitur, ut DEVUM diligas, ut ipsum in tuo corde audias cum anima tua loquentem.*

*Duo sunt
conside-
randa:
exitus et
ingressus.
Exitus fit
i. ex
mundo.*

VI. Ut vero constet, quomodo salutare hoc negotium iniri et perfici cum DEO possit, duo potissimum observanda esse censeo. Primum, quomodo exire ex mundo danis cogitationibus: deinde quomodo in desertum ipsum ingressus ingredi debeamus. Exitus itaque requiritur ex mundo, nobismet ipsis, nostraque voluntate, propria commoditate, et denique omnibus rebus extra DEVUM positis. Ita, quod exitum e mundo attinet, Spiritus S. per seruum suum, Ioannem, admonuit: *Nolite diligere mundum, neque ea, quae in mundo sunt. Si quis dilexerit mundum, non est in eo Patris caritas. Quia omnis in mundo concupiscentia carnis, et concupiscentia oculorum, et fastus vitae non ex Patre est, sed ex mundo*, i. Ioan. II. 15. 16. His breuiter et perlpicue omnia, cum generatim tum speciatim, saltem per praeципua capita, continentur, quae ad hoc argumentum pertinent, nec prolixa opus est explicacione, alibi obvia, sed pia tantum meditatione et praxi: Eodem D. Paulus tendit, quando sic 2. Cor. VI. 17. 18. monet pios: *Quare exite ex medio eorum, et separamini, inquit Dominus, et impurum ne attingatis; tum ego excipiam vos*; conf. Exod. XX. 45. Ies. LIII. II. Ier. LI. 6. Apoc. XVIII. 4. Eximia sunt rursum Tauleri verba, quae l.c. habet: *Qui sic amori seculi huius in maligno positi renunciant, illi perfecte ex Aegypto egreduntur, et regem Pharaonem deserunt, dum videlicet superbiae, vaniae gloriae, prae sumptioni, siue iactantiae, et vitiis quibuscumque relutari, plena voluntate decernunt, constituantque; atque paucis interiectis ita pergit: Qui vero e Sodomis et Gomorrah*

Gomorrha egrediuntur, qui auaritiae, gulæ, et luxuriaie in-
gum abiiciunt. Hactenus egregie Zaulerus, qui animi sui
recessus, experientia propria, scrutatus est felicissime.

VII. Exire porro nos oportet ex propria voluntate, 2. ex no-
philautia, et propria honoris affectatione: quae tria pre-
cipue homines solent impedire, quo minus ad veram per-
bismec
tingant et salutarem animae tranquillitatem. His ergo
tanquam hostibus capitalibus, qui semper a recto tramite
abducunt eos, qui non indesinenter ex concessis gratiae
viribus eorum resistunt illecebris, fortiter obuiam eun-
dum est, contra eos pugnandum armis iustitiae, ex DEI
panoplia desumitis Eph. VI. 12. s. Atque huc tendit illa
vera suimet ipsius abdicatio, quam Saluator noster a veris
suis discipulis requirit, dum ait ad omnes: Si quis voluerit
sestari me, abneget semet ipsum, et tollat crux suam
(quam inordinati affectus et cupiditates animae in certa-
mme spirituali inferunt) quotidie, et me (tum) sequatur.
Luc. IX. 23. Ex quibus facile constat, non tam leuem.
breuem et facilem esse exitum ex hoc mundo; sed multa
certamina, multas luctas cum carne ei subeundas, qui
mundi cupiditates et vanitates derelinquere studet. Qua-
re ex vero Macarius Hom. XXXII. §. 7. scribit: Λοιπὸν, εἰ ἔχεις φανουρέοντος ἡλίου αὐτὸν τὸν νῦν, καὶ ἀναχωρήσοντας πότερον καὶ ποινιάτας
παρεκκλησίς ἔτις ἐν Δεκάνῳ σὲ καὶ εἰς τὸν νῦν ἀδιαγνόντα πότερον φρονήματος
ἢ οὐ φρονήματος σεσκινίου. i. e. Ceterum, si ex parte, quoad res exter-
nas, mutasti animum et a mundo ac carnali commercio seces-
isti: sic igitur oportet te quoque quoad animum immutari, a
sapientia carnali in coelestem sapientiam. Intimam ergo
haec cordis a minimis etiam, quae videntur, eius impuri-
tatis repurgationem, vid. 2. Cor. VII. i.

VIII. Praeterea ab omni vitae nostrae commoditate nos 3. cx
debemus abdicare. Quod verbis malo iterum Tauleri ef. commo-
ferre, cum ego non ita bene et exacte queam effari, qui l. c. ditate no-
stra.

Tertius, inquit, exitus siue egressus est, propriam commoditatem, quietem ac sensum relinquere, et proximis quibusque se se exponere et admodumare consilio, auxilio, et exemplo, prorurum et ingenii facultate, cum perpetua quadam et intimamentis dilectione illis succurrente, quo ad perennis beatitudinis suae pertingant locum. Sic enim praeceptum habemus a Domino Ioh. XIII, 34. Mandatum nouum do vobis, ut diligatis vos inuicem, sicut dilexi vos; et rursus v. 35. In hoc cognoscet omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis inuicem. Et Apostolus: Alter, inquit, alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi. Quae quidem omnia fundamento illo nituntur firmissimo, quod homo cuncta, quae a Deo accepit, ad primam rursus, unde profluxerunt, referre scaturiginem, inque nominis eius gloriam proximique sui emolumentum debeat unice adplicare, et sic quoque omnibus donis, siue naturae sint, siue gratiae, se iubeat, quoad concupiscentiam et adfectionem eorum inordinatam abdicare.

4. ex rebus, quae sunt extra Deum.

IX. Denique excendum est in hoc desertum mysticum ingressuro ab omnibus illis rebus, quae sunt extra Deum positae, ut ne illis nimium tribuat amoris, atque sic committat idolatriam; sed vnice colat Dominum, eique corde toto adhaereat, quemadmodum iubetur, cum dicitur: *Et diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et tota anima tua, et ex tota extensione (כָּל־מִזְרָחֶךָ) tua,* Deut. VI, 5. Matth. XX, 37. Quod iterum egregie confirmat saepe allegatus Macar. Hom. X. §. 4. sic effatus: Φυχὴ ἡ ἀληθὸς φιλόθεος καὶ φιλόχριστος, πᾶν μέγας δικαιοσύνας ποιήσῃ, αἱ μὲν δημοσιαὶ τέττας ἔχει παῖδας ἑκάτη, διὸ τὸν πῆδον κύριον εἰδοῦσεν πόθον. Anima vero, quae vere Deum ac Christum diligit, licet mille iustitiae opera ediderit, ita se gerit, ac si nihil fecerit, propter insatiabile desiderium ad Dominum. Anima sane ita affecta et Deo coniunctissima, non posset creaturarum abuti dilectio-

lectio ne , quae in solo Deo , vno suo bono, adquiescit , laetatur et manet .

X. Mundi autem suisque propriis ex vanitatibus egred. Ingressus sa postquam fuerit anima , Christi sponsa , de via debet esse in deser-
folicita , qua ad illud desertum possit peruenire , quam per- tum hoc
spicie satis monstrant Mysticorum puriores et insigniores , *Mysticum*
inter quos *Karpinus* L. I. Part. II. cap. 35. vbi agens de detesta- per Sab-
bili otio operis , oris , et cordis cauendo , ac labore triplici con- bathum
trario amplexando , inter alia etiam dixit p. 217. requiri , ut co- internum.
gitatio stabilitas et certa sit , atque addidit , ad hanc stabilitatem
maxime iuuare solitudinem mentis , et adduxit probationis
loco Hoseae verba : *ducam eam in solitudinem etc.* subiec-
titque : *secede , sed mente , sed intentione , sed devotione , sed*
spiritu . Deus enim requirit cordis , non corporis solitudinem .
Solus es , si divina cogites , si praesentia non affectes , si despici-
cas , quod multi suspiciunt , si fastidias , quod omnes deside-
rant , si iurgia deuiles , si damna non sentias , si non recorderis
iniuriarum : alioqui nec sis solus es corpore , solus es mente . Omnia
haec miro compendio exprimunt verba nota cantici Germ.
Du soll von deim Thun lassen ab / dass Gott sein Werk
in dir hab . S. Macarius quoque simpliciter et perspicue , vt
solet , hac de re Homil. XXV. §. I. sic differit : η μεταξιωθείσαι
ψυχὴ ἀπὸ τῶν αἰχμῶν καὶ πυραցῶν λογισμῶν , καὶ ταῖς βασιλείαις ,
καὶ σληνῆιν ἀνάπτανσιν ἀναπτύσσει , αἴγανα καὶ ἐλευθερομένην ἀπὸ
πάντων τῶν σπόλειν τῶν ἔργων . *Anima , quae digna censemur ab ob-*
scoenis et turpibus cogitationibus liberari , cum verum Sabba-
thum celebrat , tum veram requiem requiescit , otium agens ,
et liberata ab omnibus operibus tenebrosis . Neque enim , ex
vero dicente B. Arndio de V. C. L. III. cap. ii. Deus alia re
indiget ad opus suum in nobis obeundum , quam corde humili
et tranquillo ; quod cum habet , in anima hominis ea opera edit ,
quae et nullis humanis viribus possunt praefesti , et hominis ocu-
los ad spectumque non admittunt . Habet et Seneca non pauca

Epist. LXVIII, et LXIX. quae hoc forte faciunt, et digna sunt, ut attente legantur; sed prolixiora sunt verba, quam ut transcribi possint. Ad Arndium ergo nostrum redimus, qui loco paulo ante indicato de necessitate et utilitate ingressus in Deum, et quietis sive Sabbathi in Deo, ita scribit: *Quantum anima in Deo, tantumdem Deus in illa adquiescit; totus in tota, et tota in toto. Sin homo suam voluntatem, intellectum, memoriam et affectum ex sui animi sententia, et quo vult ipse, convertat, tum vero Deus illis uti, et opus suum in ipsis edere non potest.*

*Forma
et statu.*

XI. Quando igitur Mystici omnium tam superiorum, quam inferiorum facultatum collectionem, requirunt, ut anima tandem in vastum hoc desertum descendat, in quo se perdat, ut eam Deus recipiat atque vnice possideat, beatum solitariae vitae statum, indicare volunt, quo anima quanto magis vacua remaneat, eo magis Spiritus S. repleatur gratia et viribus, ut in statum supernaturalem perueniat, nihil aliud, ut opinor, significare voluerunt, quam quod D. Petrus 2. Epist. I, 5 - 12. enunciavit: *Et ad hoc ipsum vero omne studium conferentes, suppeditetis in fide vestra virtutem, in virtute cognitionem, in cognitione autem continentiam, in continentia tolerantiam, in tolerantia pietatem, in pietate fraternitatem, in fraternitate caritatem. Hsec enim vobis existantia et abundantia, non segnes, neque infrugiferos constituent in Domini nostri cognitionem. Cui enim non haec adsunt, is coccus est, nihil procul cernens, obliuionem capiens purificacionis peccatorum olim perpetratorum. Quare potius, fratres, studeite firmam vestram vocationem et electionem persicere: haec enim agentes, non offendetis aliquando. Ita enim ditatum suppeditabitur vobis ingressus in aeternum regnum Domini nostri et Salvatoris IESV Christi. Hinc optime Sanctus vir Arndius, inquit: Nam ut semel dicam, omnia deserenda sunt ei, qui fundum hoc velit inuenire: quotquot vero illud innuenient,*

hi

hi hominum omnium suarissimi fiunt, et quia nulli creaturae adhaerent more hominum naturalium, sed in Deo sunt, cum illoque viti manent, idcirco supra naturam euebuntur. Lib. III. Cap. IV. *In hac solitudine tum fit, ut Deus cum anima conversetur, atque intrinsecus se ei communicet. Vbi accidit, ut se ipso illam repleat, quia est vacua; eam vestiat luce et caritate, quia nuda est et reiecta; ut eam eleuet, quia illa se humiliat; eam ditet, quia pauper est; imo ut tandem eam sibi uniat atque in se transformet, suamque in imaginem transmutet, quia eam inuenit solitariam, obseruante Molinosio l. c. qui animac etiam non praedicare satis potest beatitudinem, quam in mystica hac inuenit solitudine. Tum etiam exclamat fidelis cum deuoto Bernardo: Veni, omni IESV, aufer scandala de regno tuo, quod est anima mea, ut regnes tu, qui debes in ea! apud Taul. l. c.*

XII. Multi denique, et illi quidem egregii ex hoc
deserto recipiuntur fructus atque utilitates, quae ex fine
etiam fluunt proposito, qui esse debet vera voluntatis di-
uinæ perfectio, in qua nostra sita est in aeternum dura-
tura felicitas, si quidem corde deuoto atque reipsa eam
nos esse perfecturos demonstrauerimus. *Etenim, ut*
egregie rursus D. Arndius l. c. verum, inquit, immobile et
multarum artium ac inuentionum principium est: Naturam
omnia implere se ipsa, et cuncta potius perpeti, quam ut
vacuum admittat. Haud aliter DEVS, ubi homo cor suum
amore mundano, amore proprio, et adpetitu affectuque rerum
terrenarum excfolianit et vacuefecit, non potest non vacuum
et feriatam animam diuina sua gratia, caritate, sapientia et
cognitione adimplere. At quisquis contra mundo plenus est,
cum a rebus coelestibus vacuum esse consequitur. Beatissima
igitur solitaria vita est, qua indiuulso intimi amoris nexu
creatura cum creatore coniungitur, atque eius audit vo-
cem, quod Propheta confirmat; dum ait: רְכַחֲרֵי עַל
לִבָּה

בָּבֶל et loquar ei ad cor. Non enim audire et intelligere quis potest, quid in ipso sit, quidue Dominus intus in illo loquatur, donec ad hanc solitudinem pertingat; ceu Taulerus l.c. aliique monent. Ita diuinæ naturæ redditur particeps, qui in mystica hac solitudine DEI voluntatem operatus, et DEVM in se operari passus fuerit, vt est 2. Petr. I. 4. Atque haec est unio illa mystica, quae in deserto mystico fit; inde SS. Patribus DEO vnit, θεοφόροι, χριστοφόροι, ἐνθεοι, πνευματοφόροι et similibus cognomentis haud infrequenter tuerunt appellati, quos terminos ab aliis, v. g. Pearsonio aduersus *Dallaeum* vindicatos iam olim fuisse, Arnoldus in *Delin. Prim. Christ. L.* l.c. vlt. obseruat. De hac vnione inter DEVM et animam arctissima hunc in modum S. Macarius Hom. XV. §. XXXV. loquitur: ὁ δὲ ὡσπάσων τὸν φυχὴν αὐτὸν, καὶ ἔργον μενος ἔστιν, καὶ τοῖς συνέσαις αὐτῷ ἐπιθυμίας, ἔτιδες ἔστιν, αἱ δὲ ὡσπάσων πόλιν ἐχθρῶν αὐτὸν, καὶ ἔτιδες καταζητεῖς ἐπιθυμίας εἰς μέλεσι σύγαδοι πνεύματος, καὶ ὑπολαμβάνεις διὰ τῆς θείας δυνάμεως τὸν καθαρὸν ἀνθρώπον, ὃ γίνεται ἔστι μείων. αἴποδεῖσιν γάρ λοιπὸν ὁ τοῦ Θεοῦ, ἢ γίγνεται νίος Θεοῦ, λαμβάνων τὸ ἐρδόνιον σίγουν εἰς τὴν φυχὴν αὐτὸν. Quapropter qui sub iugum animam suam mittit, et qui sibi innatisque cupiditatibus succenset, perinde se habet, ac qui civitatem hostium suorum subiungat: hicque dignus habetur adsequi bonam mensuram Spiritus, atque induit virtute diuina adiutus purum hominem, seque ipso praestantior euadit. Eiusmodi enim, qui est, postea diuinæ naturæ fit particeps, (vel: Deus fit) et euadit filius Dei, recipiens signaculum coeleste in anima sua.

Cantela.

XIII. Interim cavendum sedulo est, ne incaute omnia hic arripiantur et probentur, quae Mystici, in primis sequiores sub Papatu, tradiderunt; solent enim Pontificii in peruersum, sensum trahere *Mysticorum* verorum, sanctorumque *Patrum* sententias, contra quos vel sola S. Nili declaratio possit esse sufficiens, qua contra solitariae vitae

vitae electionem prauam grauiter Epist. XLIV. ad Theonem scribit sequentibus: *Non equidem facile ad probarem, ut quilibet ex improviso et absq; discrimine in solitudinem secederet, prout sibi ipsi persuaserit, ex coeco praecidicio atque cupiditate, ubi nil nisi mere propria voluntas et temeraria, in semetipsa fiducia eundem comitaretur. Hoc enim qui agit, attendat probe, ut ne a malignoru*m* spirituum intusse decipiatur, detrimentumque patiatur animae. Aduersarii enim sagittae undequeaque in nos sunt directae.* Similiter et Macarius nost*r*e Hom. XXVII. §. XVIII.

non abs re admonet: *Δοκίμων σὺ ἐπίσκεψαι σεαυτὸν, ἔχων τὸ σῶμα Σὲν τὸ κόσμου τέττα, ἵνα ἔχεις τὸν νῦν αἰθρίον τέττα διῶν, τὸ δὲ πέμπτη εἰς τὸν κόσμον;* *Tu autem perpende temetipsum, qui habes corpus peregrinum ab hoc mundo, num etiam habeas mentem alienam ab hoc seculo, ac non occupationibus mundi detinearis?* Vid. Arnold. Tract. Germ. supr. cit. Lib. II. cap. 8. vbi plura de cauenda erronea de solitudine hac opinione, salutaria reperies monita. Et adde in primis celeberrimum D. Iaege-rum in Exam. Theol. mysticae veteris et nouae.

XIV. Et haec quidem sunt, quae in praesenti ma- *Conclusio-*
teria per temporis breuitatem proferre licuit, tumultua-
rio labore exarata. Vnde rogatos ad extremum velim
Lectores, vt mihi ignoscant, si quid forte peccauerim, et
aberrantem in rectam viam, a qua tamen ne latum quidem
vnguē discessisse me memini, aut discedere velim, reducant.
Desino itaque in votis, ex intimo animo Deum precatus,
vt omnes velit in viam dirigere veritatis, quo diuino ipsius
lumine, deuotis precibus imperato, ad laudem atque glo-
riam eius virtutum crescamus iudicis decore, & vitam hu-
iusmodi abstractam, resignata Deo voluntate nostra, age-
re incipiamus, vt veram pacem ac tranquillitatem adi-
piscamur in Domino, qui dignus est accipere gloriam, et poten-
tiam, et honorem in sempiterna secula. Hallelujah! Fiat!

בָּנָךְ וְלֹאַעֲנִי

CLX.

CLARISSIMO
DISPV TATIONIS AVTORI,
Auditori suo diligentissimo,

Gr.

P R A E S E S.

Mystica quod mundus non curet dogmata Verbi
Diuini, haud mirum. Littera nuda placet.
Spiritus in Verbo res est ignota profanis:

Ore ferunt Verbum, quod male corde negant.
Qui non gustavit deuoto in pectore Verbum,
De dulci fructu dicere nil poterit.

Blasphemus igitur caeci, vel lumine lusci,
Atque Epicuraei dogmata sana Dei.

Nil curat tales qui sensit Flaminis auras
In se spirantes: viuida verba tenet.

Quod cum Tu facias nunc, Praestantissime KVNZEL,
Conatus laudo; nec moror inuidiam,
Vel quidquid spargat virosa calumnia de me,
Aut de te: nobis mystica pura placent.

Vnica cum fidei, tum vitae regula Verbum

Est, et erit: duc nos Spiritus alme Dei!

Mystica, quæsio DEI, iuxtim Deserta secutum,
An poterit fidus deseruisse DEVS?
Has Tibi, KVNTZEL, laudes; haec omina fundam:
Exemplo et Scripto quæ dare namque iubes.

Hicce pauculis Nobilissimo et Clate docto DN. Autori
Respondenti, suo bucusque Auditori et Inquilino,
ob pietatem non fucatam, ob præclaras item ingenii
doctrinæque dotes, decentemque bonis quibusque
studiius nauatam operam, dilectissimo pariter et aesi-
matissimo, animum ex animo declarat

IOH. CHRISTIANVS LANGIVS,
Prof. P. ordin.

* * * *

76 4688

X 2284585

W

B.I.G.
Black



በዚ፡ እግዢያዊ፡ ሥላሴ፡ አዲ፡ ወሰዳዊ፡
ወጪዎን፡ ቅድሜ፡ እስከ፡ አዋጅ፡

DISSESSATIO THEOLOGICA
DE

DESERTO MYSTICO,

ansam considerationi huic praebente
Diuino Oraculo, *Hof. II. 16.*

Quam

PRAESIDE
RECTORE MAGNIFICO,

DN. IO. HENRICO MAIO,

S. S. Th. D. et Prof. Publ. Ordin.

Ecclesiarum Alsfeldensis et Marpurgo - Darmstadini districtus
Superintendente vigilissimo,
Confistorii Adseffore grauissimo,
Stipendiatorum Ephoro et Paedagogiarcha
meritissimo,

DN. PATRONO et PRAECEPTORE suo
accarem deuenerando,

Publicae disquisitioni submittet
in acroaterio Theologico,
die XXIV. Augst. hora IX. antemerid.
A. O. R. M DCC XIV.

GEORGIVS LVCAS KVNZEL,

Mühlbaco-Suevus.

GISSAE, typis IOANNIS MYLLERI.